
El [illegible] de 31 [illegible]
[illegible] capítulos [illegible]
[illegible] de [illegible]
[illegible] en la [illegible]
[illegible] del [illegible] 1612
al 1773 [illegible]
[illegible]




Fr Mathias Calvo 637














ACTA CAPITVLI PROVINCIALIS, CELEBRATI IN CONVENTV REGALI, S.P.N. Dominici de Mexico, die 31. Octobris, Anno Dñi. 1637.


✻

SVB REVERENDO ADMODVM P. nostro Fr. Ioanne de Valdespino, in sacra Theologia Magistro, Commissario, Vicario Generali, ac Visitatore omnium quatuor Prouinciarum nouæ Hispaniæ Ordinis Prædicatorum, authoritate Appostolica confirmato huius Capituli præside.

✻

DEFFINIENTIBVS PARITER VNA cum R. P. nostro Fr. Mathia del Caluo in sacra Theologia Magistro, in eodem Capitulo in Priorem Prouincialem electo. R. P. Fr. Lazaro de Prado SS. Theolog. Magistro, Vicario de Tepetlaostoc, pro Conuentu Mexicano, ex natis in Hispania. R. P. Fr. Ioanne de Cordoua quōdam Prouinciali, Priore huius nostri Conuentus Regalis de Mexico, pro eodem Conuentu, ex natis in Indijs. R. P. Fr. Hiacintho de la Caxica SS. Theolog. Presentato, & Priore Conuentus S. Dominici de la Puebla, pro eodem Conuētu, ex natis in Indijs. R. P. Fr. Gregorio de Palomares Prædicatore generali, & Priore Conuentus nostri de Teposcolula, pro Conuentu Mexicano, ex natis in Hispania, & pro natione Mixteca.

EPISTOLA AD TOTAM PROVINCIAM.



RATER IOANNES DE Valdespino Sacrosanctæ Theologiæ Magister, Commissarius, Vicarius Generalis, ac Visitator omnium quatuor Prouinciarum Noue Hispaniæ Ordinis Prædicatorum Authoritate Appostolica confirmatus Adm. Reuerendis, & Reuerendis Patribus Magistris, Patribus Prouinciç, Prioribus, domorum nostratum Vicarijs, cęterisque Patribus, ac Fratribus ad hanc almam nostrã Prouinciam S. Iacobi de Mexico pertinentibus pacem, & regularis obseruantiæ incrementum.

Quam primùm ex obedientia Prælatorum ad visitandas istas Occidentales Prouincias Nouæ Hispaniæ me accinxi, omnes meas curas, & conatus eò direxi, vt ea omnia, & singula, quæ pro bono pacis stabiliendo opportuna, & pro Religionis augmento congrua viderentur, promouerem: me ad hoc peculiariter incitãte Reuerendisimi P. N. Fr. Nicolai Rodulfij totius Ordinis Generalis Magistri erga totam sibi cõmisam Dominicanam familiam, & maxime erga istas longe distantes à se Prouincia paterna

cura,

cura; & solicitudo, quà regularem obseruantiam, & litterarum studia (attenta in omnibus, & singulis iustitia distributiua) vigere, ac indies magis, ac magis augeri desiderat. Video iam diuina fauẽte gratia hoc breui temporis spacio talia charitatis, ac mutuæ beneuolentiæ inter-vos iacta fundamenta, vt certam merito conceperim spem, fore vt ad pristinum decorem hęc tota Prouincia facilé redacta videatur: dum omnes ad inuicẽ amoris vinculis colligati commune bonum intenditis. Vt autem quæ fæliciter incepta sunt, ad desideratum finem perducamus. Obsecro vos omnes per viscera Christi, *vt sit vobis anima vna, & cor vnum in domino*: vt idem dicatis & idem vellitis omnes, *& non sint in vobis scismata, & dissentiones*, vt postpositis omnibus antiquis parcialitatibus, attenta semper iustitia distributiua iuxta decreta Pontificia & tot iterata Reuerẽdissimi P. N. Magistri Generalis prudentissima mandata, ita præmia distribuatis, & vt illis fiat satis, & desiderata pax, mutuusque charitatis nexus inter vos perpetuò perseueret. Quod vt facilius assequamini præ oculis semper habete professionem nostram, & essentialia vota, quæ distinxerunt labia vestra, & cum primum locum sibi vendicet Obedientia, quod ipsius munus proprium est considera-

Parens D. Aug. in Regula

1. Co. 1.

te. Gregorium consulite illam ita commédan-

D. Greg. in moral. lib. 33.

tem. *Obedientia sola est, quæ menti cæteras virtutes inserit, insertasq; custodit,* & Christus Dominus nihilò facit orationem illorum, qui merito obedientiæ priuantur; immo eos reprehendit his

Luc. 6. c.

verbis. *Quid vocatis me domine domine, & non facitis quæ dico,* & ad victimas quas Saul obtulit dominus non respexit, quia verus obediens non fuit. Audite eundem Gregorium. *Ideo præ ponitur*

D. Greg. ibid.

obedientia victimis, quia per victimas aliena caro, per obedientiã propria voluntas mactatur. Vbi maxime vobis considerandũ est, quod tantum prompta, & efficax obedientia commendatur, non negligens, seu propriæ voluntati conformis, vt enim vere docet melifluus Doctor: *Ver[illegible]diens mãdatum nõ procrastinat; sed statim parat aures auditui,*

D. Bern. de disp. & præc.

linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit; vt mandatum peragat imperãtis, nec attendit verus obediens quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur. Secundo loco votũ castitatis ob eximias quas secum affert prærrogatiuas custodiẽdum sese offert. Audite Ciprianum tale de illa testimonium ferentem. *Pudici-*

Cyprian. de abusi.

tia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen mærentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus Religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum,

creato-

creatoris omnium Dei amica. Hoc autem ornaméntum omnibus Religiosis ita est necessarium pro conseruatione, & augmento cæterarum virtutum, vt illa deficiente aliàs euanescere certissimum sit: secundum sententiam Hieronimi ita dicentis. *Quacumque virtute polleas, quibuscumque operibus niteas, si cingulo castitatis careas, omnia ad terram trahes.* Vbi etiam ab omnibus aduertendum est, quod hæc præstantissima virtus ita est delicata, vt leui cogitatione, visu, immo, & verbo inconsiderato maculetur. D.Hier. in Epist.

Tertiꝰ locꝰ paupertati debetur, cuius encomia, & quia omnibus nota, & quia longũ esset omnia in medium adducere, prætermito tantum vobis ob oculos proponam celebrem illum Philosophum Platonicum de illa ita fantem. *Paupertas philosophiæ vernacula, frugi sobria, paruo potẽs, æmula laudis, habitu secura, cultu simplex, consilio bene suada, neminem superbia inflauit, neminem impotentia deprauauit, neminem tyrannide efferauit, quemcumq; in aliqua laude miramur, eum paupertas abincunabulis nutricata est.* Et si hoc parùm vobis videtur, legite quæ subiungit, vt concludat omnia. *Paupertas omnium ciuitatum conditrix, omnium artium repertrix, omniũ peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta.* Vbi etiam cõsiderandum maxime venit, quod paupertas, Apuleius in Apolo.

quę bonum,& vitam communem non respicit potius nomen proprietatis, mendicitatis; immó,& miserię sibi vendicat quam paupertatis, vnde verus pauper nō solum necessarijs debet tantum esse contentus; sed & si potest tenetur bono communi suorum fratrum prospicere, exemplo Apostoli, qui millesios relinquens tale illis, & nobis omnibus paupertatis veræ documentum reliquit. *Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis, quoniā ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministrauerunt manus istæ, omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes opportet suscipere infirmos.* Ad hanc vitam communem sectādam tenemur omnes non solum ratione emmissæ professionis, sed etiā nos valde vrgent tot à summis Pontificibus maxime à sacrosancto, & æcumenico concilio Tridentino salutaria emmanata decreta. Admonet nos seriò sanctissimus Patriarcha noster Dominicus dum vltimis suę felicissimę peregrinationis terminis, viuis, ac feruétissimis verbis ad amorem Dei, & vitæ monasticę obseruantiam est hortatus, & vt exemplo suo illibatam Virginitatem seruare, simul Charitatem, Humilitatem, & Paupertatem spiritus custodire testaméto reliquit. At quia. *Proni sunt sensus hominis ad malum, & caro concupiscit aduersus spiritum,* atque ex humana fragi-

Act. Apost. cap. 20.

Ad Galat. c. 5.

fragilitate sæpe contingit, vt á nostra primæua institutione iugiter deficiamus, præceptaq, maiorum nostrorum obliuioni tradamus. Propterea has nostras sequentes, seu potius Capitulorum Generalium ordinationes adiunctis bullis Appostolicis pro alternatiua huius Prouinciæ seruanda, & mandatis pro executione illarum á nostro Reuerendissimo P. M. Generali transmisis, vobis ante oculos proponimus, vt illis vos accomodantes, ad pristinum obseruantiæ statum reducamini, & vinculis Charitatis connexi vos mutuo foueamini. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, repleat vos omni spe & gaudio. Benedicat vos benedictione spirituali in cœlestibus, visitet habitationes vestras, & custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu Domino nostro. Amen.* Valete dilectissimi, & pro nobis, & socijs continuò Deum optimum maximum exorate.

Chor. 21. *Rom. 15.* *Ephes. c. 1.* *Philip. c. 4.*






IN NOMINE DOMINI

nostri IesuChristi,& Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beati S. Patris N. Dominici, omniumque Sanctorũ, & Sanctarũ Dei. Hæc sunt Acta Capituli Prouincialis celebrati in Conuentu Regali de Mexico, die 31. mensis Octobris, Anno 1637.



ISTÆ SVNT DENVNCIATIONES.

DEnunciamus Reuerendissimum P. Nostrũ Fratrem Nicolaum Rodulfium sacrę Theologiæ professorem,& totius Ordinis Prædicatorum Magistrum Generalem, pro suo singulari affectu, paterno amore,zelo reformationis,erga istas Prouincias Indiarum,vt ea quę iniurię temporis labe, ruere videbantur, à suo fælicissimo, & primæuo statu erigerentur, & ad pristinũ reparẽtur. Authoritate Ordinis, & Appostolica instituisse in Commissarium Vicariũ Generalem, & Visitatorem huius nostræ Prouinciæ cæterarumq; Nouæ Hispaniæ, & in Prę sidentem huius Capituli Prouincialis, aliorumque dictarum Prouinciarũ per suas litteras Patentes R. Adm. P. N. in sacra Theologia Magistrum F. Ioannem de Valdespino, quas litteras

Patentes in hoc noſtro Capitulo, (congregata Prouincia) lectas,& acceptatas eſſe ſicut,& nos acceptamus, & acceptatas eſſe declaramus. Ipſumque R. Adm. P. N. Commiſſarium, Vicarium Generalem, & Viſitatoré ſuſcepimus gratiſsimo animo,& humili obedientia cum generali lætitia,& totius Regni,ciuium,Religionum, procerum, applauſu, ad bonum vniuerſale huius Prouinciæ. Quo beneficio Reuerendiſsimo P. N. Magiſtro Generali immortales agimus gratias, quia tanto parente dignatus fuit hanc noſtram Prouinciam condecorare.

Item, denunciamus R. Ad.P. N. Magiſtrum Fr. Ioannem de Valdeſpino, Commiſſarium, Vicarium Generalem, & Viſitatorem, ordine expreſſo Reuerendiſsimi P. N. Magiſtri Generalis, vt conſtat de inſtructionibus eiuſdem Reuerendiſsimi, coram Prouinciæ Patribus lectis, cognouiſe cauſas caſationis electionis Prioris Conuentualis ſancti Dominici de Mexico celebratæ 17. die Iunij anno domini 1636. in perſona R. P. Fr. Ioannis de Cordoua, & citato R.P. Magiſtro Fr. Ferdinãdo Martin Caluo, qui tunc Prouincialis erat, & confirmator, vt exhiberet cauſas talis caſationis, & eas propriò nomine ſubſcriberet, quibus omnibus inſpectis, auditis, & examinatis eas omnes in ſufficientes eſſe iu-

dicauit, & caſationem nullam decreuit, & præhabito eorundem Patrum Prouinciæ conſilio electionem Prioris eiuſdem Conuentus S. Dominici de Mexico, celebratam ſupradicto, die 17. Iunij eiuſdem anni 1636. in perſona R.P.Fr. Ioannis de Cordoua, quondam Prouincialis, vt potè legitimam, & canonicam, & omni defectu eſſentiali carentem confirmauit, & cõfirmatam eſſe declarauit, & prædictum R. P. Fr. Ioannem de Cordoua, vt verum, & legitimum Priorem in poſeſsione Prioratus S. Dominici de Mexico conſtituit ex mandato expreſo Reuerendiſsimi P.N. Magiſtri Generalis. Similiter autem denunciamus electionem Prioris huius Conuentus S. Dominici P. noſtri de Mexico, factam in perſona R. P. Magiſtri Fr. Franciſci de Areualo, 14. die, menſis Ianuarij huius præſentis Anni 1637. fuiſſe nullam ob defectus eſſentiales manifeſtos, & probatos, & confirmationem inualidam, vt cõſtat de reſcriptis vocalium eiuſdem electionis firmatis, & coram Notario Appoſtolico ratificatis, & in archiuo R. Adm. P. noſtri Vicarij Generalis ſeruatis.

Item, denunciamus ſub eodem ſpeciali ordine in prædicta inſtitutione contento examinaſe celebrationem Capituli Prouincialis; ſententias iudicum, pro examinandis ſcrutinijs, &


qualifi-

qualificãdis votis legitimis, & electionem Prioris Prouincialis celebratam in hoc nostro Regali Conuentu de Mexico, die 16. mensis Maij, præsentis anni 1637. & ad pleniorem certamq; & exactam notitiam, & cognitionẽ defectuum qui in iudicatura iudicum, & celebratione Capituli commissi fuerunt. R. Adm. P. N. Fr. Ioannem de Valdespino, in sacra Theologia Magistrum, Commissarium, Vicarium Generalem, & Visitatorem imposuisse præceptum formale omnibus Reuerendis Patribus Magistris, & Patrib⁹ Prouinciæ qui in hac Prouincia fuere Prouinciales, & maiori parti Priorum, & Reuerendis Patribus Vicarijs, qui ex priuilegio vocem habent in Capitulis Prouincialibus, & eorum electionib⁹, vt omni amoris affectu, & odij post posito, in dictamine conscientiæ inscriptis referrent, dicerent, & declararẽt ea omnia, quæ gesta fuerunt in tali electione Prouincialis, & celebratione Capituli, & sic declarata, & proprijs nominibus subscripta, & coram Nottario Appostolico ratificata, fuerunt lecta, iudicata in consilio publico Patrum Prouinciæ, & maturo discussa examine, præhabito consilio suam Reuerendissimam Paternitatem decreuisse, & declarase nullum fuise Capitulum Prouinciale, & omnia acta, petita, dispositã, & ordinata, &

quomodocumq; dependentia à tali Capitulo, vt potè nullo, & absque capite, & Præsidēte legitimo, esse nulla, irrita, & nullius valoris. Similiter electionē Prouincialis in eodem Capitulo factam in persona R. P. Magistri Fr. Francisci de Arebalo irritam esse, & nullam, & incapacem confirmationis innumeris defectib' tum essentialibus, tum accidentalibus viciatam, & irretitam esse, & sentētias iudicum nullas, vt constat improcesu disquisitionis supradictarum electionum apud R. Adm. P. nostrum Vicarium Generalem seruato, & in consilio eorundem Patrum lecto, iudicato, & approbato; quibus per actis, & publicatis in tota Prouincia discussum fuisse, ad quos deberet pertinere electio instantis Prouincialis, & Capituli, ne diutius Prouincia absq; legitimo prælato, & capite existeret, determinatum fuise vnanimiter ab omnibus Patribus Prouinciæ ad eosdem, ad quos pertinebat præcedens Capitulum, quia nullum fuit celebratum Capitulum. Inde designatum fuisse Capitulum, & electionem Prouincialis in hoc nostro Conuentu S. Dominici de Mexico Dominica vigesima post octauas Trinitatis, & in eodem Capitulo omnium Patrum consensu pace mirabili, concordia, & acclamatione electum fuisse in Priorem Prouincialem huius Prouinciæ

uinciæ Sancti Iacobi de Mexico Nouæ Hispaniæ R. P. nostrum Magistrum Fr. Mathiam del Caluo Rectorem Collegij Sancti Ludouici Ciuitatis Angelorum. Quam electionem, vt pote canonicam, rite, & iuridice factam R. Adm. P. nostrum Fr. Ioannem de Valdespino, Commissarium, Vicarium Generalem, & Visitatorem approbasse, & authoritate Appostolica à sanctissimo Domino nostro Clemente VII. huic Prouinciæ Mexicanæ concessa confirmasse cũ omnibus gratijs, & priuilegijs, quibus Priores Prouinciales rite electi, & confirmati potiri, & gaudere solent in hac Prouincia.

Item, denũciamus ad humilem supplicationem huius Prouinciȩ S. Iacobi de Mexico, sanctissimum D. nostrum Gregorium quintum decimũ fælicis recordationis de benignitate Appostolica dignatum fuisse concedere ad seruãdam pacem in hac Prouincia, & vniendos animos strictissimo Charitatis, & amoris vinculo internatos in Hispania, & natos in Indijs Breue Appostolicum de alternatiua electione seruanda inter vtramque nationem thenoris sequẽtis:



GREGORIVS PAPA XV.



D PERPETVAM REI MEmoriam. *In supræmo Appostolatus solio meritis licet imparibus, diuina dispositione constituti, votis illis, per quæ locorū regularium quorumlibet, ac personarum in eis sub suaui Religionis iugo altissimo famulantium, prospero statui, fælicique directioni consulitur, benigne annuimus, & ijs quæ propterea, pié, & prouidè facta, & ordinata fuisse, dicuntur. Libenter cum á nobis petitur, Apostolicæ confirmationis robur adijcimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire, exponi siquidem nobis nuper fecit, dilectus filius Iosephus de Quintanadueñas Ordinis fratrū Prædicatorum professor, & Prouinciæ sancti Iacobi Mexicanæ in Indijs eiusdem Ordinis Procurator. Quod aliás Prouincia prædicta attento pauco numero Religiosorum, ac Regularium Domorum eiusdem ordinis in illis partibus existentium, Capitulo Generali ipsius ordinis de Mense Maij, Anni proximè præteriti in Ciuitate Mediolanensi celebrato per eundem Iosephum insterit quatenus concederetur, vt Vicarij trium Domorū Regularium dicti Ordinis, scilicét, Chimaluacan chalco, & de Quautla de las Amilpas, & de Tequistepec, suffragiū habere possent in electione Prouincialis, ac tres Priores Conuentuum de Zacatecas, Guadalaxara, &*

Veracruz

Veracruz, eligerentur à Prouinciali ann. Diffinitorio, aut sex Patribus Prouinciæ, in supèr vt Vocales ad electionem Prioris Conuentuum de la Puebla, & de Mexico, duodecim annos à professione habere debeant. Præterea, quod in eodem Capitulo Generali editũ fuit tenoris subsequentis: Videlicet. Confirmamus ordinationem de alternatiua electionis Prouincialis ex natis in Hispania, & ex natis in Indijs, ita vt si aliter fiat, ipso facto electio sit nulla, & inanis; Mandamus autem sub pæna absolutionis ab officio Patri Prouinciali pro tempore, vt iustitiam distributiuam, & æqualitatem seruari curet in postulandis gradibus, & recipiendis ad habitum, quod si modo plures ex altera dictarum partium, recepti inueniantur, nullus admittatur, quoadusque totidem ex altera admissi fuerint, cum autem sicut eadem expositio subiungebat petitiones huiusmodi regularibus eiusdem ordinis institutis ab Appostolica authoritate confirmatis aduersentur. Nobis propterea, ac etiam pro maiori dicti decreti validitate, & subsistentia Dictus Iosephus eius Prouinciæ nomine de ipsius Capituli licentia humiliter supplicari fecit, vt de super, opportunè prouidere de benignitate Appostolica dignaremur. Nos igitur, Dictum Iosephum specialib⁹ fauoribus prosequi volentes, & aquibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pænis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet

dolibet

dolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi suplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorũ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotijs regularium præpositorum consilio eidem Prouinciæ, quod Vicarij triũ domorũ scilicet de Chimalhuacan chalco, & de Quautla de las Amilpas, & de Tequicistepec suffragium habere possint in electione Prioris Prouincialis, quódq; tres Priores Conuentuum de Zacatecas, Guadalaxara, & Veracruz, eligantur à Prouinciali cum Deffinitorio, aut sex Patribus Prouinciæ, ac insuper, quod Vocales ad electionem Prioris Conuentuum de la Puebla, & de Mexico, duodecim annos á professione habere debeant, Appostolica authoritate tenore præsentiũ, concedimus, & indulgemus. Insuper per insertum decretum huiusmodi authoritate, & tenore similibus approbamus, & confirmamus, illique, inviolabilis Appostolicæ firmitatis robur adijcimus, à quo omnes, & singulos tam iuris, quam facti defectus, siqui desuper quomodolibet interuenerint supplemus; decernentes, præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & infuturum quomodolibet spectabit, inuiolabiliter obseruari debere, irritumque, & innane si secus super his á quoquam, quauis authoritate scienter, vel ignoranter con-

tigerit

*tigerit attentari, non obstantibus præmissis, ac consti-
tutionibus, & ordinationib' Appostolicis nec non præ
dictis, & quibusuis alijs dicti ordinis etiam iuramento
confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia ro-
boratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq;
indultis, & litteris Appostolicis, in contrarium præmis-
sorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & inno-
uatis, quibus omnibus, & singulis eorum omnium te-
nore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis ha
bentes, illis aliás in suo robore permansuris, hac vice
dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisq;
contrarijs quibuscumque. Datis Romæ apud San-
ctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 12.
Maij, 1623. Pontificatus nostri Anno tertio.*

S. Car. S. Sus.

Declarantes has litteras Appostolicas à tota nostra Prouincia, vt maxime conducentes ad augmentum Charitatis, fouendam pacem ac-ceptatas esse, quas denuo acceptam', & acceptatas esse declaramus, easq; inuiolabiliter semper obseruari volumus.

Item, denunciamus Reuerendissimum P. N. Fr. Nicolaũ Rodulfium Sacræ Theologiæ professorem dignatum fuisse transmittere huic Prouinciæ suas litteras patẽtes thenoris sequentis.

NOS Fr. NICOLAVS RODVLFIVS Sacræ Theologiæ professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & seruus &c.





EGVLARIS obseruantiæ, & tranquilli Religionis, ac Religiossorum status splendor proportionata iustitiæ distributiuæ mensura conseruatus splendidioresque boni Regiminis, melioris odoris, & optimi fructus in posterum promittit. Cum ergo Prouincia nostra S. Iacobi de Mexico Indiarum Occidentalium post introductam æquissimam alternatiuæ legem inter filios eiusdem Prouinciæ natos in Hispania, & natos in Indijs, in numeris Capitulorum, tam Generalium, quam Prouincialium sanctionibus comprobatam, diuq; radicatam, & ab eadem prædicta Prouincia executioni mandatam ad vsum alterna officij Prioris Prouincialis vtriusque nationis respectiua electione seu nominatione, sed in pari numero eorum qui ad habitum nostri Ordinis erunt rescipiẽdi, & ad quoscumque gradus, officia, honores, ac dignitates eiusdem dictæ Prouinciæ quomodolibet promouendi eiusdem iustitiæ distributiuæ metam adinuenerit bonæ guuernationis, melioris famæ, & optimæ pacis vberiores fructus, & ingenti illius Religionis hominũ

plausu.


plausu, & comprobata experientia credimus collegisse. Nos autem, qui eam paternalis dilectionis speciali affectu cordi fixam tenemus in suo pacifico statu, & optimo Religionis culmine conseruare volentes, nec non eiusdem dictæ Mexicanæ Prouinciæ petitioni ad nos per manus R. P. M. Fr. Ioannis del Castillo Procuratoris nuperrimé transmissæ libenti animo annuentes harum serie nostriq; officij auctoritate prædictam alternatiuæ legem inter natos in Hispania, & natos in Indijs, approbamus, reualidamus, & confirmamus, & si necese est approbatam reualidatam, & confirmatam esse decernimus cum omnium tam Generalium Capitulorum, quam Prouincialium ordinationibus, ac quibuscumque alijs statutis super hoc ab eadem Prouincia editis, mandamusque admodum R. P. Prouinciali eiusdem dictæ Prouinciæ Mexicanæ pro tempore existenti, seu eius Vicario, vel quomodolibet vices gerenti in virtute spiritus Sanct. & sanct. obedientiæ sub formali præcepto, & sub pæna priuationis officij, vt hanc æqualitatem, & iustitiam distributiuam seruari curet, nedum in alterna electionis Prioris Prouincialis vtriusque nationis successione (quæ electio si aliter fiat ipso facto est nulla) sed etiam in postulandis gradibus, & recipiendis ad habitum, & ad quoscumque honores officia, & dignitates promouendis, si autem modo plures ex altera dictarum partium recepti inueniantur nullus admitatur quo vsque totidem ab altera parte admissi

fuerint,

fuerint, quicquid autem in contrarium fuerit factum totum sit irritum, & inane. In quorum fidem his officij nostri Sigillo munitis manu propria subscripsimus. Datis Bononiæ in N. Cnouentu sancti Dominici, die 3. Februarij 1631.

Fr. Nicolaus.
Qui supra manu propria.

Registrata fol. 175.
Fr. Dominicus Paulascius
Magister, & socius.



Quas quidem acceptamus, & acceptatas esse declaramus: & conformiter ad ea quæ in bulla Appostolica stabilita, & ordinata sunt pro æqualitate distributiua seruanda inter natos in Hispania, & natos in Indijs, & inter filios Conuentus nostri Sancti Dominici de Mexico, & filios Conuétus nostri S. Dominici de la Puebla, pro vt disponunt litteræ Reuerendissimi Patris N. Fr. Nicolai Rodolfij Sacræ Theologiæ professoris, & totius Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis debere fieri electiones Prouincialatus ternatiue inter filios vtriusque Conuentus seruata alternatiua videlicet. Quod vnum quadrienium sicut præsens pertineat ad filios prædicti Conuétus Angelopolitani ex natis in Hispania


*similiter annullamus, inualidamus, ac irritamus, quic-
quid á R. Adm. P. Prouinciali, aut quocumque alio
subdito nostro, siue in virtute dictæ commissionis, &
actorum Capitularium illius Prouinciæ, siue exquacũ-
que alia authoritate hactenus ad auferēda à dictis Col-
legijs litteraria exercitia, aut ad quouismodo immutã-
da eorum statuta, factum, aut inchoatum dispositumq;
fuit. Mandantes denuo quod opus est, ac præcipientes
eidem R. Adm. P. Prouinciali dictæ Prouinciæ, in
virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, nec non
sub præcepto formali, ac sub pæna excomunicationis
maioris, latæ sententiæ, ipsoque facto incurrenda hac
vna protrina canonica monitione præmisa, quatenus (si
quid hactenus contra formam, statuta, & studia dicto-
rum collegiorum factum, & omnino in pristinũ modum
ordinemque restituat, nec vllam in eis personam com-
morari sinat, nisi aut studiorum, seu moderandorum, seu
agendorum titulo, aut rei familiaris administrãdæ ne-
cessitate: cæteris omnibus cuiuscumque gradus, tituli,
aut dignitatis fuerint intra quindenam à notitia harũ,
inde amotis, ac ad opportuna loca distributis, ac deniq;
vt cætera quæcumque, aut incitatis Appostolicis Bre-
uibus, aut in nostro illo Bononiæ scripto mandato con-
tinetur ad dictorum Collegiorum conseruationem spe-
ctantia, obseruet, & exequatur. In nomine Patris, &
Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Non obstantibus in
contrarium quibuscumque in quorum fidem his sigillo*

nostro munitis manu propria subscripsimus. Romæ in Conuentu nostro sanctæ Mariæ sup. Mineruam, die 30. Aprilis 1635.

Fr. Nicolaus Magister Ordinis manu propria.

Registrata fol. 179.

Fr. Ignatius Ciantes Prouincialis Angliæ, Magister, & Socius.



NOS Fr. NICOLAVS RODVLFIVS Sacræ Theologiæ professor, ac totius Ordinis Prædicatorum Magister Generalis.





OLLEGIVM Nostrum S. Dominici de Porta Cœli, Prouinciæ nostræ Mexicanæ, in quo, ad eiusdem Prouinciæ profectum studium generale viget, ad id ad quod primo institutũ fuit, sic dirigi debet, vt quæ studiorum cursum retardare valeant, omnino remouẽda censeamus. Quare præsentium tenore districté præcipimus, & præcipiendo mandamus R.P. Prouinciali Prouinciæ Mexicanæ pro tempore existenti, seu eius Vicario, vel ipsius vices quomodocumque gerenti, in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ sub formali præcepto, nec non sub pœna excomunicationis

latæ sententiæ, hac vna protrina cannonica monitione præmisa, ipso facto incurrenda, vt nullum fratrẽ illius vel alterius Prouinciæ cuiuscumque gradus, dignitatis ac conditionis existat, de inceps in dicto Collegio assignari, vel deputari possit quocumque titulo, prætextu, & colore, nisi ratione studiorum, & administrationis bonorum Collegij eiusdem, designando Rectorem, Regentem, Lectores, Magistrum studentium, Collegiales studentes, conuersos, nec non familiares, & reliquos officiales, tum ad studium, tum ad necessaria officia Collegij pertinentes omnes vero, & singuli alij in illo commorantes, sub eodem formali præcepto, & excomunicationis pæna, infra spatium quindecim dierum, á notitia præsentium recedant, & alibi á R. P. Prouinciali assignentur. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Datum Boniæ in Conuentu S. Dominici, die 20. Ianuarij 1631.

Fr. Nicolaus.
Qui supra manu propria.

Registrata fol. 175.
Fr. Dominicus Paulascius
Magister, & Socius.

Denunciamus emminentissimum D. D. Fr. Augustinum de Galamino sanctę Romanę Ecclesiæ Cardinalem ante quam ad eminentissimam, & amplissimam Cardinalat' dignitatem ascen-

aſcenderet, dum Magiſtratus ordinis ageret officium in bonum vniuerſale Prouinciæ, & eius regimen ad incrementum Religionis, & pacis edidiſſe pro hac noſtra Prouincia aliqua ſanctiſsima ſtatuta, & ordinationes thenoris ſequẽtis.

NOS Fr. AVGVSTIN GALAMINO M. General de toda la Orden de Predicadores, y ſieruo.



AVIENDO viſto las peticiones q̃ de parte de nueſtra Prouincia de Santiago de Mexico ſe nos han praſentado por ſu Procurador el P. M. Fr. Alonſo de Armeria, y conſiderãdo ſer conueniente para el ſeruicio do nueſtro Señor, y el bien de la dicha Prouincia, nos pareciò conceder lo que por ella ſe nos pide. Por tanto por las preſentes, y con la authoridad de nueſtro officio, y por la authoridad Appoſtolica que de la Sanctidad de nueſtro ſeñor el Papa Paulo V. en eſta parte *viuæ vocis oraculo* nos á ſido concedida, confirmamos la ordenacion 37. del Capitulo General de Valladolid de 1605. en que ſe manda que en dicha nueſtra Prouincia de Mexico, la electiõn del Prouincial ſe haga alternatiuamente, vna vez en Religioſo nacido

cido en Eſpaña, y otra vez en Religioſo nacido en las Indias: deſuerte que en el dicho officio de Prouincial no puedan ſer electos ſucceſiua- mente dos nacidos en Eſpaña, ni dos nacidos en las Indias. Y por la preſente declaramos irrito, y nullo lo que contra eſta ordenacion, y confirmacion ſe hiziere. Y para que eſta ordenacion ſe guarde con mayor commodidad, y la paz de la dicha Prouincia, q̃ por ella ſe pretende conſeruar, ſe augmente, ordenamos, y mandamos, que las Vicarias della, aſsi las que tienen voto, como las que no le tienẽ ſe repartan igualmente quanto fuere poſsible entre los Religioſos nacidos en Eſpaña, y nacidos en las Indias, demodo que tengan tantas los vnos como los otros, preſuponiendo la ſuficiencia de doctrina, y pericia de la lengua de los Indios q̃ ſe requiere para aquel miniſterio.

Iten, por quãto la dicha Prouincia tiene priuilegio de la ſede Apoſtolica para que los Vicarios de las caſas entre Indios tengã voto en las elecciones de Prouincial, y Diffinidores como ſi fueſſen Priores conuẽtuales: entre tanto que en la Prouincia no ſe huuieſſen fundado ſiete Conuentos, y Prioratos, y nos fue pedido ſupplicaſemos a ſu Sanctidad ſe dignaſe de eſtẽder eſta gracia a mayor numero de Conuentos, at-

tento a que aviendo crecido mucho la Prouincia en Vicarias, y no en Conuentos ſeria inconueniẽte pertenecer la eleccion a tan pocos votos. Y auiẽdo Nos expueſto a ſu Sanctidad eſta peticion ſe dignò de conceder, que las dichas Vicarias tengan voto en los Capitulos Prouinciales como haſta aqui, en tanto que el numero de los Conuentos no llega a doze. Y por la preſente aſsi lo declaramos, y que en llegando los Conuentos a doze, ceſſa eſta gracia de las Vicarias.

Iten, declaramos, que la ordenacion 37. del Capitulo de Valladolid de 1605. en que ſe mãda, que los Vicarios de las caſas de dicha Prouincia no duren mas de quatro años, y eſtos paſados vaquen ſus officios: ſe deua entender el tiempo entero de vn Prouincialato, avnque eſté por algunos dias ó meſes, exceda al tiempo preciſſo de quatro años, ò ſi acauare algunos dias antes del dicho quadrienio. Y vltra deſto deuen durar los Vicarios haſta el fin del Capitulo Prouincial q̃ ſe ſigue deſpues de aquellos quatro años, v acabar por algunos dias ò meſes antes de los quatro años, ſi ſucediere anticiparſe el Capitulo.

Iten, concedemos a la dicha Prouincia, que los bienes que quedarẽ de los Frayles difuntos

ſe re-

ſe repartan demanera, que la mitad dellos pertenesca al Conuento de donde ſon hijos, y la otra mitad al Conuento donde fallecieren, y no a las Vicarias en que eſtuuieron aſignados, atento a que en ellas no ſe reciuen a el habito, ni ſe curan en ſus enfermedades, ſino que luego ſe van a los Conuentos donde eſtan las enfermerias vniuerſales para toda la Prouincia.


Iten, concedemos al muy R. P. Prouincial de la dicha Prouincia de Santiago de Mexico, pro tempore, para que pueda ir a la Ciudad de Guaxaca por negocios que ſe ofreſcan, y tambien para que pueda paſar por los Conuentos, y caſas de la Prouincia de Guaxaca, quando viſitare la ſuya de Mexico: no obſtante qualquiera ordenacion, ó prohibicion de los RR. Generales nueſtros predeceſſores, ó de los Capitulos generales, por quanto las dichas ordenaciones ſe hizieron quãdo eſtas dos Prouincias no eſtavan diuididas, ni tenian la diſpoſiciõ que agora tienen.

Iten, por quanto la nacion Mexicana es mucho mayor que las demas en numero de caſas, y Religioſos que trabajan en la predicacion, y enſeñança de los Indios, concedemos que aya cinco predicaturas generales por la dicha nacion Mexicana. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus

ritus Sancti. Amen. Quibuscumq; in cõtrarium non obstantibus. In quorum fidem præsentibus manu propria subscripsim', sigillo officij nostri munitis. Datis Romæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ super mineraa, die 4. Nouembris, 1609. Fr. Augustinus Galaminus.

Qui supra.

Fr. Thomas Marinus
Mag. & Socius.



Et cum iam in multis Capitulis Prouincialibus has literas, & ordinationes eminentissimi D. D. Augustini Galamino, vt maxime necessarias ad pacem Prouinciæ acceptatas esse, nunc autem iterum acceptamus, & acceptatas esse declaramus. Denunciantes sanctissimum D. nostrũ Paulum Papam V. per speciale Breue Appostolicũ confirmasse supradictas ordinationes, & authoritate Appostolica statuisse, & præcepisse omnibus, & singulis dicti ordinis superiorib' Prouincialibus, & fratribus in Indijs existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ, nec non excommunicationis pænis, mandasse: vt statuta, & ordinationes prædictas omnino obseruẽt, vt videre est in Bulla Appostolica eiusdem sanctissimi

ſimi D. noſtri Pauli Papæ V. fælicis recordationis in Capitulo generali Pariſijs 1611. pro Prouincijs Indiarum accçeptata, quam & nos denuò acceptamus, & acceptatam eſſe declaramus.

Iten, denunciamus omnibus noſtræ Prouinciæ patribus, ac fratrib' emmanaſe litteras Appoſtolicas in forma Breuis á S. D. noſtro Paulo Papa V. contra captantes, vel excipientes fauores extra ordinem, quibus etiam confirmauit ſua ſanctitas conſtitutiones prædeceſorum ſuorum fœlicis recordationis S. D. noſtri Gregorij XIII. & Clementis VIII. quas omnes Reuerendiſſimus P. N. Magiſter Generalis recopilauit, & intimari fecit vniuerſis totius ordinis Prouincijs ad extinguendos abuſus emmendicandi fauores à perſonis extra ordinem conſtitutis, & nunc ex mandato R. Adm. P. N. Fr. Ioannis de Valdeſpino in ſacra Theologia Magiſtri, Commiſſarij, Vicarij Generalis, & Viſitatoris, harum Prouinciarum Nouæ Hiſpaniæ publicatas eſſe de nouo in hac alma Prouincia declarãtes iam acceptatas eſſe, & ſi neceſſe eſt denuo eas acceptamus thenoris ſequentis.

NOS Fr. NICOLAVS RODVLFIVS Sacræ Theologiæ profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter.

Omnibus nostræ curæ subiectis salutem, & spiritum obedientiæ.



VAMVIS execranda per extranearũ à nostro Ordine Personarum mendicatam opem, fauorem, ac preces, gratiarum à Superioribus Ordinis, per Fratres nostros extorsio, tamquam nutrix ambitionis, Iustitiæ distributiuæ interitus, ac totius Religiosi regiminis, disdiplinæque Regularis euersio, iam dudum non solùm à nostris Constitutionibus, & Capitulorum generalium Ordinationibus, verùm etiam à tribus Summis Pontificibus, sub Ecclesiasticis censuris ac pœnis à nostro Ordine eliminata fuerit: Quia tamen experientia ipsa, non sine magno cordis nostri dolore, comperimus, à nonnullis nostræ curæ subiectis, sacrarũ legum contemptoribus, censurarum, pœnarum que in eis contẽtarum, imó potius suimet obliuiosis, hanc pestem ita reuocari, vt importunis non minus, quàm quotidianis vtriusque sexus Personarum extra nostrum Ordinem constitutarum fauoribus, instantijs, ac precibus, assignationes factas, vel faciendas impedire, Honores, Officia, Administrationes & Prælaturas tam à Nobis, quám ab alijs Prælatis Ordinis extor

opere-

quere conentur: Nos adeò perniciosum Religiosæ vitæ malum, conniuentibus oculis minime dissimulandum, sed ipsum executiuæ Iustitiæ gladio omninó extirpandum, ex iniuncto Nobis Pastoralis Officij debito planè decreuimus. Quapropter, ne legum, pœnarum, ac censurarum aduersus huiusmodi criminis reos latarum, & inflictarum, ignorantia, seu obliuione sese transgressores aliquando excusare possint; omnes, & singulas, tam Capitulorum generalium Ordinationes, quám etiam Summorũ Pontificum Constitutiones aduersus huiusmodi Fratres, gratias, officia, & honores, cæteraque eiusdem generis, mediantibus extranearum ab Ordine nostro Personarum fauoribus, precibusq; ac suffragijs mendicantes, ac procurantes, vniuersis nostræ obedientiæ subiectis cuiuscumque gradus, status, aut conditionis fuerint, in memoriam reducimus, & ob oculos ponimus.

In primis in nostris Constitutionibus, *dist.* 2. *cap.* 13. *nu.* 9. *lit. N.* Decernitur, quòd *Si quis Frater nostri Ordinis per se, vel per alium, pro se, vel pro alio ordinationem de se, vel de alio factam, vel obedientiam sibi vel alij Fratri iniunctam, per quamcumq; personam extra obedientiam nostri Ordinis constitutam quocumque modo procurauerit reuocari, vel in aliqua Prouincia, aut Conuentu, aut officio, siue etiam in Studio ge-*

nerali

nerali poni, vel remanere, vel inde amoueri; ipso facto, ex vi præsentis statuti, in pœnam incidat grauioris culpæ, in qua, vel à qua, cum tali dispensari non possit, nisi per Magistrum Ordinis, vel Capitulum generale, & omnibus gratijs Ordinis sit priuatus. Quæ Constitutio in *glos. ibidem lit. N.* declarata dicitur fuisse Lugduni MCCCXVIII. Ferrariæ MCCCLXII. & Romę MDLXXI. vbi additur *pœna inhabilitatis ad quascumque Ordinis dignitates, non nisi à Magistro Ordinis relaxanda.* Idem decretum fuit Bononiæ MDLXXIV. & Romæ MDLXXX.

Præterea GREGORIVS XIII. in sua Constitutione, quæ incipit: *Cum nihil magis,* sub dat. Romę apud S. Petrum die j. Iunij MDLXXX. Prælatis omnibus Ordinis nostri in virtute sanctæ Obedientiæ mandat, *ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque Personarum, tam Laicarum, quám Ecclesiasticarum, extra eundem Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, ac quacumq; sæculari dignitate, & excellentia etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuius dicti Ordinis Religioso vllam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere audeant, seu præsumant.* Quinimó quoscumq; dicti Ordinis Fratres, & Religiosos, qui contra Decreta suarum Constitutionũ hac via, & his medijs per conquisitos fauores, & suffragia sibi procurauerint; ad talia, & similia, ac etiam maiora

in eo-

eodem Ordine consequenda, perpetuo inhabiles declarauit, nec per quoscumque, nisi per Sedem Apostolicam, rehabilitari, & cum ipsis dispensari posse decreuit.

Præterea Capitulum generale Romæ MDLXXXIX. post præfatæ Greg. XIII. Constitutionis acceptationem, præfatis pœnis, censuram etiam excommunicationis latæ sententiæ, vna pro trina canonica monitione præmissa, superaddit.

CLEMENS veró VIII. sua Constitutione, quæ incipit: *Religiosos viros*, sub dat. Romæ apud S. Petrum die xxv. Maij MDXCII. præfatam Gregorij Constitutionem, ac decretum Capituli generalis Romani prædicti, quoad omnia cõfirmauit, & quoad quoscumque gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, Prælaturas eiusdem Ordinis, perpetuo extendit, & extendi debere decreuit; & vniuersis Ordinis Fratribus, non solúm in prædictis omnibus fauorem sæcularium minimé procurare, sed ne quidem sponte oblatum, aut ab eis minimè procuratum recipere, & similiter ne ad hunc effectum, munera aliqua sæcularibus impendere, vel exhibere audeant, in virtute sanctę Obedientiæ, & sub pœnis in dictis Gregorij Prędecessoris litteris contentis, præcèpit expresse,

inter-

interdixit, & prohibuit.

Ne verò tam salutarium legum transgressoribus aliquis subterfugij, aut declarationis præfatarum pœnarum, censurarumque incursus, seu euasionis, sub aliquo ementito prætextu, locus superesse, aut etiam negationis dicti recursus effugium prodesse possit, idem Summ' Pontifex subdit: *Statuentes quòd omnes, & singuli, in præmissis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & absque Processu de super habendo, sententias, & pœnas præmissas irremissibiliter eo ipso incurrant: Quódque ad illos, sententias, & pœnas huiusmodi damnabiliter incurrisse, legitimè probandum, & omninò conuincendum, solæ præmissarum Personarum instantiæ, fauores, & preces, etiam oretenus porrectæ, plenam, indubiam, & sufficientem in iudicio, & extra, fidem faciant; nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.*

PAVLVS etiam V. sua Constitutione, quæ incipit: *Admonemur,* sub dat. Romæ apud S. Petrum die vij. Ianuarij MDCV*III.* motu proprio & ex certa scientia, prædictas Gregorij, & Clementis litteras, atque etiam in eis contenta, in perpetuum confirmauit, & aprobauit, & perpetuæ firmitatis robur adiecit. Quam deinde Pauli V. Constitutionem Capitulum generale Romanum MDCV*III.* in Actis eiusdem insertam esse voluit.

Quæ

Quæ omnia, & singula, sicut Capit. generale Vlyssiponen MDCXVIII. *admonit.* 2. & Mediolanense MDCXXII. *admonit.* 4. omnibus nostri ordinis Fratribus accuratè perpendenda, suarumque conscientiarum securitati prospiciendum mouerint: Ita Nos sub eisdem pœnis, ac censuris (post hanc vnam, pro trina canonica monitione præuiam) vniuersis ac singulis Fratribus nostræ curæ subiectis, cuiuscumque status, gradus, & conditionis fuerint, obseruanda præcipimus. Sicut etiam omnib', & singulis Adm. RR. PP. Prouincialibus, in virtute Spiritus sancti, & sanctæ Obedientiæ, sub formali præcepto mandamus, vt contra in præfatis delinquentes omni humano respectu deposito omninò procedant; eosque in pœnas, ac censuras omnes præfatas incidisse iuxta dispositionem CLEMENTIS VIII. dictam declarent, & puniant. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem his nostro sigillo munitis manu propria subscripsim⁹. Datum Romæ in nostro Conuentu Sanctæ Mariæ super Mineruam die vj. Decembris MDCXXIX.

Fr. Nicolaus Magister Ordinis

Fr. Petrus Manrique de Hinostrosa
Mag. Prouinc. Terræ Sanctæ.

Item denunciamus R. Adm. P. nostrum Fr. Ioannem de Valdespino in sacra Theologia Magistrum, Commissarium, Vicarium generalem, & Visitatorem, eo quod numerus Patrum lectorum, qui fructuose, & laudabiliter sacram Theologiam legerunt: & eos qui in doctrina Angelici præceptoris indefesso labore se exercuerunt, & laborarunt dignis compensentur honoribus numerum Magistrorum (qui iam nouenus erat exclara, & certa noticia confirmationis actorũ Capituli Prouincialis celebrati in nostro Conuentu Mexicano à nostro Reuerendissimo P. Magistro Generali, vt constat ex comprobatione epistolarum, & rescriptorum PP. Procuratorum Prouinciæ in Regnis Hispaniarum existententium; & huic nostro Deffinitorio præsentatę fuere) ampliasse, & extendisse vsque ad duodenarium numerum, & similiter numerum Præsentatorum vsq; ad prædictum numerum duodenarium: ex eo quod sub ista extẽsione, & ampliatione numeri graduatorum maxime æqualitas distributiua inter vtramque nationem, & proportione debita inter filios nostri Conuentus S. Dominici de Mexico, & nostri Conuentus S. Dominici de la Puebla, seruabitur, & æquabitur, ita vt octo Magisteria pertineant ad filios huius Conuentus S. Dominici de Mexico, sub

hac

